



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Stephani Thevpoli Bened. F. Patric. Veneti,
Academicarum Contemplationum Lib. X**

Piccolomini, Francesco

[Basel], 1590

VD16 ZV 12463

Quomodo Anima dicatur mouere seipsam, & esse initium motus. Ca. 4.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12918

Quomodo anima dicatur mouere seipsum,
& esse initium motus.

CAP. IV.

Multiplex profecto est motus; & præsertim quadruplex, ex sententia Platonis, considerari potest. Primus est motus materiæ mundi, de quo loquitur Plato in Timœo inquiens: Ante mundi generationem materia fluctuabat, inconstanti, inordinatoque motu mouebatur. hic motus potius est fluxio, inconstantia, privatiaque termini, & ordinis; quam verè motus. Alter est motus physicus corporum natura cōstantium. Tertius est motus animæ. Quartus mentis: nam mens, quamvis dicatur immobilis; attamen ei conuenit motus, quatenus ex se excitatur ab esse ad agere. Præterea menti conuenit motus, non quidem transituus, sed pro genere rerum sumptus, ut in præcedentibus apparuit. Anima motu animario se mouet, qui motus multiplex est: Ideo Plato in 10. de Legibus dixit, nomina motuum animæ esse, velle, considerare, consultare, opinari, lætari, dolere, metuere, odisse, diligere, & similia: adeo quod anima, nedium se mouet, quia ex se excitatur ad transituum motum, & est initium eius in corporibus; verum insuper, quia motibus aliis se mouet, qui metaphorice motus nuncupantur; quibus motibus dicitur se mouere, quoniam sunt actiones immanentes, non transcuntes. Et quemadmodum in anima v-

nitas non destruit diuisiōnem , nec diuisio rei mouet vnitatem ; ita motus in ea non destruit statum , nec status inotum : quoniam ratione diuersorum ei conuenit motus , & status ; ut ratione diuersæ conditionis , cœlum dicuntur , & moueri , & esse immobile . Ex his patet rectè à Platone animam dici numerum semouentem : quæ definitio approbata à Zenocrate , ita ab eo explicabatur , quod anima esset substantia secundūm numerūm una , ex substantiis multis conflata seipsum mouens . Sic Cicero , quod debuit Platonī tribuere , perperam tribuebat Aristotelī , dum entelechiam ab Aristotele pro genere in definitione animæ suumptam dicebat denotare perennem motum : quod , ut longè abest à sententia Aristot. ita maximè est consentaneum opinioni Platonis ; verè enim anima est motus perennis ex Platonis sententia . Quod si etiam per clariores terminos volumus Platonicam animæ definitionem latius explicare , dicere valimus : Anima est substantia incorporea , à mente pendens ; ex rerum principiis , & generibus conuenienti ratione , & numero ita conflata , ut ex se moueat ; & iuncta corpori sit primum initium transitiui motus .

Ita censeo ego posse latius breuem illam definitionem explicari .

Quæ